

mus, demandantes, ut illud referat inter Acta Congregationis Episcoporum & Regularium, & Decreti exemplar ad Penitentiarium Apostolicam, & Congregationem Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, inter sua Acta approbandum, transmittat: ut unanimes in posterum sit sententia de solemnitate votorum, quæ a conversis Cisterciensibus emittuntur.

Datum ex Palatio Apostolico Quirinali hac die 21. Martii 1747.

167 ¶ Circa votorum irrationem, dispensationem, & commutationem, vide quæ de privilegiis Regularium alibi adnotata sunt.

¶ Videat quidem prudens, & eruditus Lector, quæ de privilegiis Regularium alibi adnotata sunt; sed videat etiam, & ponderet, quæ ego ibi tradidi, & quæ in hisce animadversionibus ad ipsas notas respondeo sub verbis Privilegium. Videatur insuper egregium, immortale, æternumque commendabile opus Bullarium nempe præclarissimi Ordinis Prædicatorum editionis Romanæ 1640. Hieronymi Mainardi, & præcipue tom. 8. & trad. de consensu Bullarum, & facile convinci poterit quicumque contrarium senserit de variis privilegiis Regularium, & ad id signanter videantur tradita ibi pagin. 434. num. 6. præcisè his verbis. Quæ de re audiendus Illustrissimus, & Reverendissimus D. Secretarius Congregationis Indulgentiarum quæ dubia varia proponens eidem Sacre Congregat. Feria 6. 30. Aprilis 1734. in Palatio Apostolico Quirinali habendæ, sic Eminentiſſimos Patres, & Reverendissimos Consultores allocutus in scripto Romæ 1734. impresso typis Philippi Zet nobii Typographi Sanctissimi D. N. Clementis XII. — Sane quod spectat ad expressam revocationem laudatæ Constitutionis (à Benedicte XIII. concessæ Ordini Minorum, & à Clemente XII. simul cum aliis revocata) similis instantia fuit in hac Sacra Congregatione proposita sub die 21. Januarii proxime præteriti anni, supplicantibus Canonici Regularibus Sancti Salvatoris resalvi. — An per moderationem, seu revocationem expressam Bulla incip. — In Sede — favore ipsorum à Benedicte XIII. editam Indulgentiæ ipsi concessæ, necnon privilegium Altaris, intelligeretur revocatum — cui dubio responsum fuit ab Eminentiſſimis Patribus. — Negative. — Ex quo in narratâ Bulla Sanctissimi D. N. Clementis XII. ad amovendam litem occasionem, ad terminos juris communis Benedicte Constitutiones reduci, asseratur, ac proinde solum privilegia contentiosa, ac jurisdictionem Ordinariorum impediencia videantur revocari. Quæ sane verba, quibus Illustrissimus D. Secretarius mentem Sacre Congregationis declarat, apprime notanda sunt, ut id genus dubia resolvat possint. Hæc ibi. Unde cum ex hac Sacre Congregationis declaratione à Clemente XII. in sua constitutione Romanus Pontifex: solum privilegia contentiosa, ac jurisdictionem Ordinariorum impediencia, videantur revocari, istis solum exceptis, omnia alia in suo firmo robore subsistunt, quæ Benedicte XIII. concessit, ac innovavit in duodecim constitutionibus pro variis Regularibus editis, & in dict. constit. Romanus Pontifex: à Clemente XII. enuntiatis: Sicque inter varia alia, firmum subsistit Regularium privilegium recipiendi ordines extra tempora, & posse Episcopos libere, licite, ac tuto sine ullo scrupulo eos sic ordinare, ut expresse declaravit, ac innovavit perennis memorie Benedicte XIII. nedum in Concilio Romano, sed etiam in constitutione Pretiosus edita pro inclyto Ordine Prædicatorum, ibi: Quia vero ad aures nostras pervenit, non obstante nostra, ac etiam novissimi Romani Concilii per nos habitii tit. 5. cap. 11. sententia, quod Regulares vigore suorum privilegiorum tuto, & absque novo indulto Apostolico extra tempora Sacris initiantur etiam post (N. B.) Decreta Concilii Tridentini, à nonnullis etiam Episcopis in dubium revocari, & inter tales Regulares, licet indefinite nominatos, recenteri debeant Fratres prædicti Ordinis Prædicatorum, motu scientia, & auctoritate prædictis declaramus, eosdem Fratres, ex nostra ac didi etiam Romani Concilii Definitione, eodem privilegio frui, ac potiri posse, & debere, & quatenus opus sit, pariformiter dispensantes super quocumque

contraria dispositione, de novo illud idem privilegium pro singulari nostra erga prædictum Ordinem, intra cuius dilectissimum sinum adhuc versari gloriamur, dilectionem, iisdem fratribus signanter, specificè, & in individuo concedimus, quatenus à diocesano, eoque renuente, aut non valente, à quocumque Catholico Episcopo ordines extra tempora suscipere, & Episcopi ipsi conferre libere, & licite valeant juxta Declarationem S. Pii V. in Bulla: Et si Mendicantium, & Decretum Clementis VIII. & uberius explicata in dicto Concilio Romano nostro tit. 5. cap. 1. & tit. 21. cap. 11. Sic ibi ad literam: Vide laudatum Bullarium tom. 6. pag. 621. & pag. 733. ubi refertur constitutio Clementis XII. incip. Cum si cutu: in qua expresse declarat, se in dict. constit. Romanus Pontifex: non revocasse privilegia Regularium ipsis concessa ante dictas Constitutiones Benedicte. Idemque concessit Fratribus nostri Ordinis de Observantia in constit. Summe decet: in qua confirmatis, & innovatis centum, & tredecim constitutionibus suorum Antecessorum Pontificum ibi enuntiatis, pro variis privilegiis Ordini nostro concessis sub num. 121. inter alia sic expresse concedit, & innovat Privilegia, & indulgentia spiritualia, & temporalia, etiam quoad susceptionem Sacrorum Ordinum extra tempora à jure statuta, absque exhibitione literarum Apostolicarum in forma Brevis, vel expresse, vel per viam communicationis Regularibus concessarum, ut super à nobis ipsis in Concilio Lateranensi, & per Congreg. particularem decretum est, aliasque gratias per modum etiam communicationis & extensionis cum aliis Ordinibus mendicantium, & non mendicantium, præsertim S. Benedicte, ac quem Nos professi sumus, Ordinis Prædicatorum, necnon Societatis Jesu. Nec dictum privilegium suscipiendi Ordines extra tempora adimit Regularibus Benedicte XIV. in sua constit. Impositi nobis: Immo tale privilegium esse habere aperte innuit in §. Hæc profecto expresse dicens: Neque enim Regulares conqueri poterunt, quod, recusantibus Episcopis Sacram Ordinationem administrare, præterquam in temporibus ab Ecclesia statutis eorum privilegia de Ordinibus extra tempora suscipiendi, effectu vacua remaneant: Episcopi enim alios etiam opportunos dies ordinandi Regularibus facile inveniunt. Quid clarius? Nisi totoqueantur, & perperam interpretentur dicta verba Pontificis. Vult quidem Laudatus Pontifex, quod Regulares dependeat, ut par est, à propriis diocesanis Ordinariis pro suscipiendi Ordinibus, & ipsis absentibus, vel non valentibus, aut renuentibus sacram Ordinationem extra tempora ipsis administrare, vel si ordinationem in temporibus ab Ecclesia statutis, non sint ipsi habituri, nequeant Regulares ab extra diocesanis Episcopis ordinari, nisi secum attulerint authenticam attestationem Vicarii Generalis, vel Cancellarii, aut Secretarii ejusdem Episcopi diocesani, ex qua constet, vel ipsum à diocesi abesse, vel Clericorum ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore per Ecclesiasticas leges ad hunc effectum statuto. Ceterum per omnia superadducta, & signanter per dicta expressa verba ejusdem Benedicte XIV. & per constitutiones Pretiosus, & Summe decet: aliasque Benedicte XIII. non revocatas quoad hoc à Clemente XII. in sua constit. Romanus Pontifex: juxta supra allatam declarationem Sacre Congregationis, viget in Regularibus privilegium suscipiendi ordines extra tempora, & extra ipsa possunt proprii diocesanii Episcopi eos licite, ac tuto ordinare. Sicque servant plurimi Episcopi pietate, virtute, & intelligentia Apostolicarum constitutionum conspiciunt, Regulares omnes suæ respectivæ diocesis sine alio, & illos aliarum diocesium cum supradicta authentica, sine nullo scrupulo in dies ordinando, & in traditis de administrata ordinatione documentis apponendo, eos Regulares sic extra tempora ordinasse vigore suorum privilegiorum, & plurima similia documenta egomet ipse vidi, & alia alia de recenti videre. Alia ad rem vide in Supplem. verb. Ordo, Ordinate, & toties laudatum D. Alfonso de Liguori in suo novissimo opere edito 1759. c. 20. punct. 4. §. 2. num. 115. Videatur insuper constit. Benedicte XIII. in-

cip. Libenter §. 18. pro inclyto Ordine Eremitar. S. Augustini, ubi id eis competere declarat, & decernit, & quatenus opus sit, super quocumque contraria dispositione dispensat, ac de novo privilegium hujusmodi eis concedit. (Repete quæ sunt lit. D. pag. 8. col. 2. num. 57. ubi summam quid leges nostræ disponant, seu referant, pettingitur.)

VOTUM PRO ELECTIONE. Vide verb. Electio art. 3. & 4. fere per tot.

VOTUM PROUT EST IMPEDIMENTUM MATRIMONII. Vide verb. Impedimenta Matrimonii art. 1. à num. 23. ad 26.

USUCAPIO. Vide verb. Præscriptio.

USURA.

1 USURA dicitur ab usu, sicut cultura dicitur à cultu: unde in hoc sensu Cicero in Verrem dixit: Cur piraticis lucis usuram tam diuturnam dedisti. Sicque usura in genere significat usum alienius rei. Item usura sæpe accipitur pro incremento, seu lucro, & commodo, seu tractu ex rei usu proveniens, teste eodem Cicerone, qui lib. de senectute sic expresse dicit: Terra nunquam sine fructu reddat quod accipit, ubi fructus supra semen, seu incrementum, & lucrum, quod ex semine sibi mandato reddit, usuram appellat. Ad nostrum autem propositum usura sumitur vel pro conventionem, seu contractu usurario, vel pro lucro, quod ex contractu acquiritur, quod etiam fenus appellatur à Fenu, quasi factus, seu partus, aut genitura pecuniæ, vel alterius rei pretio æstimabilis mutuo data.

2 Usura capta pro conventionem, seu contractu usurario definitur, quod sit mutuatio cum pacto expresse, vel tacito accipiendi lucrum aliquod temporale ultra sortem tantum mutui. Usura autem capta pro lucro, quod ex contractu usurario acquiritur, definitur, quod sit lucrum immediate ex mutuo proveniens tamquam debitum, id est, incrementum, quod vi mutui intenditur, & accipitur tamquam debitum supra id, quod mutuo datum est. Sic in re Doctores communiter, arg. cap. Si feneraveris 1. cap. Putant 2. cap. Plerique 3. & cap. Usura 4. caus. 14. q. 3.

3 Usura dividitur primo in mentalem, & realem. Usuris mentalis est, qua lucrum ex mutuo intenditur tamquam debitum, licet de eo nullum interveniat pactum, arg. cap. Consultuit 10. de Usuris. Vide infra num. 86. Usura realis est, cum quis mutuat cum pacto expresse, vel tacito accipiendi ultra sortem lucrum ex mutuo. Sic in re Communis Doctorum.

4 Secundo dividitur usura in expressam, seu manifestam, & tacitam, seu palliatam. Usura expressa, seu manifesta, & formalis est, quando expresse, seu manifeste, & formaliter exigitur pretium pro mutuo, & cum quis mutuat centum eo expresse pacto, ut sibi reddantur centum, & quinque, & hujusmodi. Usura tacita, seu palliata, & virtualis est, quæ non committitur vi contractus mutui formalis, & expressi, sed alterius contractus nomine, ac specie veluti pallio contexti, & occultati, ut dum præcise ob anticipatam, aut dilatam solutionem aliquid de jure pretio detrahitur, aut supra justum pretium exigitur, arg. cap. in Civitate tua 6. de Usuris.

5 Tertio dividitur usura in lucratoriam, compensatoriam, & punitivam. Usura lucratoria (de qua tamquam propria usura ex professo agunt Theologi, & erit hic sermo) est quæ continet aliquod lucrum temporale, causa, & nomine solius mutui principaliter exactum. Usura compensatoria, seu restauratoria est, quæ ex pacto exigit aliquid supra sortem ratione justis interesse, seu damni emergentis, vel lucri cessantis, quod patitur mutuant, aut ratione periculi, & incommodi; quod pro-

habiter passurus est in mutuo recuperando. Et hæc usura, ut infra videbitur, est licita. Usura punitoria, seu moratoria est, quæ ex pacto imponitur, v. gr. pecuniaria ultra sortem præstanta, ac mutuatarius in reddendo mutuum tempore convento fuerit culpabiliter morosus; & hæc etiam, ut infra videbitur, est licita.

6 Usura proprie dicta, seu lucratoria est prohibita, non solum jure positivo, divino, & ecclesiastico, sed etiam jure naturali. Est Communis inter Catholicos. Et quidem de jure Divino constat ex pluribus locis Sacre Scripturæ, & signanter ex Levit. 23. ibi: Non accipies à Fratre tuo usuram, nec amplius, quàm dediti... pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, & frugum superabundantiam non exiges. Deuteron. 23. ibi: Non fenerabis fratri tuo ad usuram pecuniam. Psalm. 14. ubi introducendus in Tabernaculum Domini dicitur, qui pecuniam suam non dedit ad Usuram, siquæ è contrario excludendus qui dederit ad usuram. Psalm. 54. ubi inter iniquitates, quæ enumerantur, dicitur: Et non defecit de plebs ejus usura, & dolus. Ezechiel. 18. ubi vita æterna præmiandus dicitur qui ad usuram non commoderit, & amplius non accepit, & è contra dicitur esse morte æterna puniendus ad usuram dantem, & amplius accipientem. Et Luca 6. ipsemet Christus Dominus ait: Mutuum date nihil inde sperantes, scilicet ultra sortem, quæ verba Papa Urbanus III. in cap. Consultuit 10. de Usuris adfert ad probandum, Usuram jure Divino esse prohibitam. Unde in cap. Super eo 4. de Usuris expresse dicitur, quod Usurarum crimen utriusque Testamenti pagina detestetur, & concordat cap. Quia in omnibus 3. cod. ibi: Et qualiter utriusque Testamenti pagina condemnentur, nequaquam attendunt.

Et quod usura prohibita sit etiam jure canonico, habetur expresse ex cap. Quoniam 2. distict. cap. 47. cap. Si feneraveris 1. cap. Putant 2. cap. Plerique 3. & cap. Usura 4. caus. 14. quart. 3. cap. Ministri 2. cap. Si quis 4. cap. Nullus 6. cap. De hoc 7. & cap. Si quis Usuram 10. caus. 14. quart. 4. & ex toto titulo de Usuris, tam quinti, quàm sexti Decretalium, & ex Clementin. unic. de Usuris, §. Sane, ibi: Sane si quis in illum errorem incidit, ut pertinaciter affirmare presumat exercere usuras non esse peccatum, decernimus eum vel Hæreticum puniendum.

7 Quod autem usura prohibita sit etiam Jure naturali ostenditur ratione. Contra legem naturalem, seu Jus naturæ, est fructus percipere ex re non sua, sed aliena, cum fructus rei ex natura sua pertineant ad dominum ejusdem rei: atqui si ex mutuo usura perciperetur, perciperetur fructus ex re aliena, ergo usura est contra Jus naturæ, seu de Jure naturali prohibita. Major est nota ipso naturæ lumine. Minor probatur, quia per mutuum dominium rei mutuatæ transfertur in mutuatarium: Mutuum enim ideo appellatur, quia de meo fit tuum. textu expresse in l. Mutuum 2. §. 2. ff. de rebus creditis, si certum petatur, ibi: Appellata est autem mutui datio ab eo, quod de meo tuum fit. Et Institut. quibus modis re contrahatur obligatio in princip. ibi: Inde etiam dictum est mutuum, quia ita à me tibi datur, ut ex meo tuum fiat, ergo si percipiantur fructus seu lucrum à Mutuante ex re mutuatæ, percipiuntur ex re aliena, adeoque, &c. (Vide verb. Dominium, & Mutuum.)

Nec contra id, quod hætenus dictum est, usuram scilicet esse illicitam, & prohibitam Jure divino, ac naturali, obijci valet illud Deuteronomii cap. 23. Non fenerabis fratri tuo ad usuram, &c. sed alieno. Nec illud Luca cap. 19. Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usuris utique exagissem illum? Non valet, inquam, quia ad illud Deuteronomii respondetur cum variis Sacris Patribus, & Doctoribus, ibi solum permissas fuisse, id est, non specialiter punitas fuisse usuras erga alienos tamquam malum ad majus malum vitandum, ne scilicet Judei à se invicem usuras acciperent propter avaritiam, cui nimis dediti erant. Sic inter alios respondet S. Thomas 2. 2. q. 87. art. 1. ad 2. ibi: Quod autem ab extraneis usuram acciperent, non fuit eis concessum quasi licitum, sed permis-

sum ab majus malum vitandum, ne scilicet à Judæis Deum colentibus usuras acciperent propter avaritiam, cui dediti erant, ut habetur Isaie 56. Et idem etiam habetur 2. 2. quest. 105. art. 3. ad 3. ibi: Accipere usuras ab alienis non erat secundum intentionem legis, sed ex quadam permissione propter pronitatem Judæorum ad avaritiam, & ut magis pacifice se haberent ad extraneos, à quibus lucrabantur. Et idem jam scripserat meus Alexander Alensis part. 3. quest. 86. membr. 4. art. 2. ibi: Numquam fuit Judæis licitum fœnerare alieno, sed permissum fuit illis, sicut dare libellum repudiij propter duritiam cordis sui. Peccabant tamen mortaliter fœnerando alieno, sed permissum eis duplici de causa, scilicet, ne facerent pejus, id est, ne fœnerarent fratribus, & quia duri erant & paulatim trahendi ad perfectionem. Et sic varii alij dicentes, id permissum fuisse, seu toleratum fuisse, sicuti apud Christianos in quibusdam locis permittuntur meretrices, quia non puniuntur qui cum eis scortantur, & sicuti in eodem cap. 23. Deuteronomij dicitur: Non erit Meretrix de filiabus Israel, non quod meretrices alienigenæ approbantur, sed quod non puniantur lege ista sicuti Meretrices Israelitæ.

10 Aut cum variis aliis responderetur, id Deum tunc permisit Judæis, non vi mutui, sed vi donationis, transferendo scilicet tamquam supremum omnium Dominus rerum dominium ab extraneis in Judæos, sic Exodi 12. donavit ipsis Ægyptiorum spolia, quæ commodato acceperant: Sicuti enim potest Princeps temporalis poenam delictorum aliquos per Justitiam vindicativam ipsum bonis suis, vel in toto, vel in parte privare, (Vide verb. Poena) illisque Jus, & dominium in alium benemerentem conferre, ita Deus tamquam supremus Dominus universorum poterit à fortiori hoc præstare adversus sui nominis hostes, jusque illud, & dominium suis fidelibus sectatoribus in præmium, & retributionem conferre. Et quod de facto tunc Deus id fecerit, colligitur clare ex Deuter. 28. ubi Moyses contra populum Israel non serventem Legem ait: Advena fœnerabit tibi, & tu non fœnerabis ei, quod intelligendum est in poenam non servatæ Legis. Sicque cum in dict. cap. 23. Deuteronomij dicit: Non fœnerabis fratri tuo ad usuram, &c. sed alieno, debet pati ratione intelligi in poenam ejusdem alieni, eo quod legem non servaret, adeoque illud lucrum non approbavit Deus, ut fœnus est, sed induxit ut poenam delicti, cum non approbaverit cum fratribus legem servantibus, sed solum cum exteris legem transgredientibus. Sic S. Ambrosius lib. de Tobia cap. 15. n. 5. relatus in cap. Ab illo 12. caus. 14. q. 4. Pirhing. loc. cit. n. 9. Sporer loc. cit. num. 111. Reiffenstuel loc. cit. num. 24. Pontas tom. 3. verb. Usura caus. 7. Tirinus Commentar. in dict. c. 23. Deuteronomij vers. 19. Molina tom. 2. disp. 494. n. 18. plures alios afferens pro utraque responsione.

11 Ad illud autem Lucae 19. responderetur, quod ibi per usuram intelligitur lucrum licitum ex negotiatione: Dare enim ad mensam non est dare mutuum, ex quo solo vetita usura oritur; sed est dare mercatoribus ad negotiandum, utpote ad contractum societatis à banco, in quo dominium pecuniæ manet penes sic negotiantem, & tam lucrum ex ea perceptum, quam periculum ad eundem spectat, quod non currit in mutuo. Unde ibi usura accipitur metaphorice, ut nempe nobis à Deo acceptis augeamus, & multiplicemus merita, & bona spiritualia ad nostram æternam utilitatem: Voluit enim ibi Christus suis fidelibus sectatoribus ostendere, quod sicut homines terrestres cum tanta sollicitudine utantur bonis temporalibus ad lucrum transitivum, ita & illi cum majori sollicitudine debeant uti temporalibus ad lucrum æternum. Sic S. Thomas loc. cit. art. 1. Pirhing. loc. cit. Molina loc. cit. & alij passim.

12 Usura usurarum lucratoria est prohibita etiam de Jure civili. Communis per clarissimos textus in l. Placuit 29. ff. de Usuris, l. Improbum fœnus 20. Cod. Ex quibus causis infamia irrogatur, ibi: Improbum fœnus exercere causis infamia irroganda est, l. Nullo modo 28. Cod. de Usuris, ibi: Ut nullo modo usura usurarum à debitoribus exigantur & veteribus quidem legibus constitutum fuerat,

sed non perfectissime cautum. Si enim usuras in sortem redigere fuerat concessum, & totius Summe usuras stipulare, quæ differentia erat debitoribus, à quibus reuera usurarum usura exigebatur? Hoc certe erat non rebus, sed verbis tantummodo legem ponere. Quapropter hac aperteissima lege definitum nullo modo licere cuiquam usuras præteriti temporis, vel futuri in sortem redigere, & earum usuras stipulari: sed etsi hoc fuerit subsecutum, usuras quidem semper usuras manere, & nullum usurarum aliarum incrementum sentire: Sorti autem antiqua tantummodo incrementum usurarum accedere, l. Sancimus 3. Cod. de Usuris rei judicate, ibi: Cum enim jam constitutum usurarum usuras penitus esse dolendas, nullum casum relinquitur, ex quo hujusmodi machinatio possit induci.

Usura autem usurarum est, quæ ex usura, seu lucro usuratio non soluto, seu nova sorte exigitur, ut dum quis v. gr. mille scuta pro quinquaginta annuatim solvendi in mutuum dat, & de istis quinquaginta scutis debito tempore non solutis, seu Summa Capitali præter priorem novam usuras, v. gr. duo scuta cum dimidio annuatim exigit.

Usura vero secundum se non est Jure Cæsareo seu civili communi prohibita, nisi in maxima quantitate, ut habetur clare in l. Placuit 29. & l. Quod in stipulatione 31. ff. de Usuris l. Lecta 40. ff. de rebus creditis, ubi non solum permittuntur ut in minorâ mala, sed approbantur usuræ ut licitæ, l. Si interrogatio 1. Cod. de Usuris, ubi sic expresse habetur: Si interrogatio præcedente promissio usurarum recte facta probetur, licet instrumento conscripta non sit, tamen optimo Jure debentur, l. Quamvis 8. Cod. eod. ubi denegatur actio ad repetitionem usurarum jam solutarum, l. Eos qui 26. Cod. eod. ubi excepta præscriptio triginta, vel quadraginta annorum conceditur actio ad exigendas usuras promissas.

15 Dicitur fuit tamen notanter: Nisi sit in maxima quantitate, quia in hac quantitate usura est prohibita etiam Jure civili communi per cit. l. Eos qui 26. Cod. de usuris, & l. Placuit 28. ff. eod. Quænam autem sit determinata quantitas, quæ à Jure civili approbetur, quæve reprobetur, declaratur in eadem l. Eos qui 26. §. Super usurarum, Cod. de Usuris, diversimodo juxta diversitatem personarum abrogata veteri & gravissima dispositione: Conceditur igitur illustribus personis posse in contracta mutui stipulari ad Trientem, id est, ad tertiam partem Centesimæ usurarum: Nominè autem tertie partis Centesimæ usurarum venit lucrum ut quatuor pro centenario singulis annis; pro cujus rei notitia est advertendum, quod in Jure illi dicitur Centesima, in qua pro singulo centenario unum singulo mense persolvebatur, & sic pro sorte Centesima singulo anno usura duodecim correspondebat: Dicitur autem Centesima, eo quia singulo mense persolvebatur erat pars correspondens Centesimæ parti sortis: Hinc tertia pars Centesimæ usurarum erat numerus ut quatuor, cum hic numerus sit tertia pars numeri duodecim: In trajectitiis contractibus, scilicet pro re seu pecunia trajectitia, quæ mutuo datur mercatoribus trajectitiis, seu acturis trans mare cum periculo creditorum, seu mutuantium, si naves pereant, conceditur Centesima usurarum Mercatoribus, sive negotiatoribus conceditur posse recipere lucrum ex mutuo usque ad bessem Centesima usurarum, id est, ad duas partes Centesimæ, nempe octo. Ceteris autem omnibus conceditur posse in contracta mutui stipulari ad Semissem, id est, ad dimidium Centesimæ, quod est sex pro quolibet Centenario singulis annis. Sic habetur ex cit. l. Eos qui 26. Cod. de Usura, ubi vetatur extensio ad ulteriorem quantitatem.

Supradicta autem omnia ad faciliorem memoriæ retentionem quatuor sequentibus carminibus traduntur à Glossa in cit. l. Eos qui 26. Cod. de Usuris, ibi:

Discant illustres stipulari posse Trientem.
Et Mercatores sibi possunt querere Bessem.
Querere semissem possunt communiter omnes.
In trajectitiis vires centesima sunt.

At vero omnes supra num. 14. allegatæ leges civiles 17 per-

permittentes, & approbantes usuras contra jus divinum & naturale, correde, & abrogatæ sunt per Jus canonicum, ut clare patet ex toto titulo de Usuris, tam quinti, quam sexti Decretalium, & expresse, ac specialiter ex Clement. unic. de usuris; ubi sub pœna excommunicationis reprobantur quæcumque statuta in offensam Dei, & proximi, & contra Jura divina pariter, & humana usurarum approbantia quomodocumque præstita. Quinimo subditur ibid. §. Sane, quod pertinaciter asserens exercere Usuras non esse peccatum, sit puniendus ut Hæreticus, ibi: Sane si quis in illum errorem incidit & pertinaciter affirmare præsumat, exercere Usuras non esse peccatum, decernimus cum voluimus Hæreticum puniendum.

18 Hinc nullus Princeps, quamvis supremus, sive secularis, sive ecclesiasticus, & neque Papa. condere potest legem qua usuræ reddantur licitæ. Communis ac certa. Et ratio est clara, quia usuræ sunt à Jure divino ac naturali prohibite, ut probatum est supra num. 6. & 8. adeoque non possunt ulla lege humana, neque Pontificia permitti, ut licite; cum inferior non possit dispensare in lege Superioris, argumens. cap. Inferior 4. dist. 21. cap. Cum inferior 16. de Majoris. & Obedient. Clement. Ne Romani 2. de elect. Unde ipsemet Pontifex cap. Super eo 4. de Usuris expresse dicit, super usuris nullam posse dari dispensationem, ibi: Cum usurarum crimen utriusque Testamenti pagina detestetur, super hoc dispensationem aliquam posse fieri non videmus, Et quod id nequeant Principes Seculares, quamvis Supremi, stat manifestum, quia ipsi ultraquam quod nequeant quidquam statuere contra legem divinam, etiam Legi Pontificiæ: nihil contrarium concedere valent; sed eidem necessario obedire tenentur in his, quæ continent peccatum; cap. Legem Imperator 1. c. Non licet Imperatori 2. cap. Certum est 3. cap. Constitutiones 4. cap. Suscipitis 6. dist. 10. cap. Si quis 2. cap. Solite 6. de Majoris. & Obedient. cum similibus, adeoque, &c.

19 Immo nedum non possunt Principes, sive Seculares, sive Ecclesiastici permittere tamquam licitas usuras, sed tenentur eas prohibere etiam Judæis in suis ditionibus degentibus, & contravenientes punire. Communis per text. in c. Post miserabilem 12. & c. Quanto amplius 18. de Usuris. Et ratio est, quia Usuræ, ut supra num. 6. & 8. ostensum est, sunt contra jus naturale, & divinum: Principes autem sive Seculares, sive Ecclesiastici debent omnibus degentibus in suis ditionibus prohibere id, quod est contra Jus naturale, & divinum, adeoque, &c. Tum quia post Legem Evangelicam non possunt Judæi fœnerare cum alienigenis modo, quo ipsis permittetur in lege veteri, quia talis concessio, ut supra n. 10. dictum est, erat pro illo tempore in poenam alienigenarum non ambulantium in lege Domini, & in retributionem populi sui sequentis vestigia ejus: Ratio autem talis concessionis post Legem Evangelicam cessat, cum populus hebraeus à Deo prius dilectus, factus fuerit ei inimicus, & alienigenæ gentes factæ ipsi familiares, & suus dilectus populus. Tum etiam quia Principes, tam Seculares, quam Ecclesiastici possunt, & debent punire, & de facto justo puniunt Judæos in suis ditionibus homicidia, furta, aliaque similia crimina perniciosa Reipublica perpetrantes, adeoque etiam punire possunt & debent eosdem dicitas usuras contra Jus naturale, & divinum, & eidem Reipublicæ noxias committentes, cum eisdem Juribus, & ex eisdem motibus prohibeantur usuræ, ac enumerata delicta.

21 Usura compensatoria, seu restauratoria, (de qua supra n. 5.) est licita ex triplici præcipue titulo, scilicet titulo damni emergentis, titulo lucris cessantis, & titulo periculi perdendæ sortis. Vide verb. Mutuum d. num. 33. ad 37.

22 Usura punitoria, seu moratoria (de qua supra n. 5.) est licita. Vide dict. verb. Mutuum, n. 38.

23 Mutuans accepto pignore à Mutuatario cum pacto, ut interim fructus pignoris lucretur, nisi adsit alius justus titulus, committit Usuram, & tenetur tales fructus perceptos ex pignore computare in sortem. Vide dict. verb. Mutuum num. 44.

24 Dantur tamen aliqui justii tituli percipiendi fructus

ex pignore sine diminutione sortis. Vide dict. verb. Mutuum à num. 45. ad 48.

Pactum Antichriseos quid sit, & an sit illicitum, & 25 usurarium? Vide verb. Hypotheca à num. 32. ad 33.

Pactum Legis Commissoria quid sit, & an illicitum 26 & usurarium? Vide ibid. num. 34. & 35.

1. Usuræ neque possant exigi, & accipi ob favorem 27 cause piæ, vel ob aliud opus bonum, neque ad id dari potest aliqua dispensatio. Communis, textu expresso in c. Super eo 4. de Usuris. Cum enim ibi Archiepiscopus Panormitanus quævisset à Papa Alex. III. An possit per dispensationem pecunia recipi ad usuram, ut per illam pauperes, qui in Saracenorum captivitate detinentur, possint liberari: sic respondit dictus Summus Pontifex: Respondemus, quod cum usurarum crimen utriusque Testamenti pagina detestetur, super hoc dispensationem aliquam posse fieri non videmus, quia cum Scriptura Sacra prohibeat pro alterius vita mentiri, multo magis prohibendus est quis, ne etiam pro redimenda vitâ captivi usurarum crimine involvatur.

Unde nequidem, ut redimantur captivi, ut alantur 28 pauperes, aut ut ædificentur, & restaurentur Ecclesie, permitti potest facultas dandi pecunias ad usuras, nempe ut illa pecunia usuraria à fœnerante talia, vel similia opera pia peragantur, ut clare habetur ex cit. cap. Super eo 4. de Usuris. Et ratio est, quia nulla dispensatio fieri potest in eo, quod utroque testamento est prohibitum, uti sunt vere prohibite usuræ, per expressum textum in cap. Quia in omnibus 3. & cit. cap. Super eo 4. de Usuris. Tum quia non sunt faciendæ mala, ut eveniant bona, Epist. ad Romanos cap. 3. Glossa in cap. Super eo verb. Dispensationem: cum pluribus Juribus ibi adductis. Nec sunt faciendæ elemosynæ de fœnore, & usuris, cap. Non putanda 27. caus. 1. q. 1. cap. Nolite 1. caus. 14. q. 5. Nec auferendum est aliquid divitibus, ut detur pauperibus, cap. Forte 3. ead. caus. 4. & q. 5. Tum etiam quia non licet pro vita alterius servanda mentiri, cap. Ne quis 14. cap. Si quis 17. caus. 2. q. 2. adeoque multo minus licet usuras exercere ob utilitatem proximi, quia hoc multo gravius est peccatum, quam mendacium, cit. cap. Super eo 4. de Usuris.

Sunt tamen liciti, nec sunt usurarii, Montes Pietatis. 29 Vide verb. Montes pietatis per tot.

Mutuare cum pacto conferendi aliquid supra sortem 30 non tamquam debitum justitiæ, sed tantum amicitia & gratitudinis, est usura. Vide verb. Mutuum num. 24. ubi datur ad hoc propositio damnata ab Innoc. XI.

Mutuans non potest licite aliquid supra sortem exigere, ex quo se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus. Vid. dict. verb. Mutuum n. 25. ubi ad id afferitur propositio damnata ab Alex. VII.

Mutuans non potest licite aliquid supra sortem exigere à Mutuatario pro sola carentia pecuniæ, quam ei actualiter numeratam mutuavit. Vid. dict. verb. Mutuum n. 26. ubi adducitur ad id alia propositio damnata ab Innocentio XI.

Mutuare intentione, ut acquiratur aliquid ex mutuo tamquam debitum ex justitiâ, etsi id minus principaliter intendatur, est usura mentalis. Vide dict. verb. Mutuum n. 23.

Non est tamen usura, cum quis dat mutuum, & sine ulla pactione, secundario tantum inde aliquid intendit, & sperat, item daturus mutuum, quamvis secrete se id, quod sperat, non obtenturum. Glossa in cap. Consuluit 10. verb. Sperantes, de Usuris; Barbosa in cit. cap. Consuluit num. 6. Navarr. in Manual. cap. 17. num. 209. & alij passim, arg. cap. Si Officia 2. dist. 59. & c. Quid proderit 7. dist. 61. Et ratio est, quia cum Mutuatarius aliquid possit dare, immo ex Antidorali obligatione Mutuatario obligatus sit, utique poterit hic aliquid etiam saltem secundario sperare & intendere; licite enim potest sperari, quod licite potest acceptari.

Nec valet objicere illud Christi Domini Lucae 6. Mutuum date, nihil inde sperantes: Nec illud Canonis Consuluit 10. de Usuris, ubi Pontifex respondit, illum qui mutuat, aliis non mutuaturo eo proposito, ut licet omni conventionie cessante, plus tamen sorte recipiat pro ejusmo-

modi lucri intentione, iudicandum esse male agere, & efficaciter ad restitutionem inducendum. Non valet, inquam, quia illud *Luce 6.* intelligi debet uti consilium, quatenus excludit spem beneficii ex gratitudine a mutuario accipiendi, præceptum autem est quatenus excludit spem lucri accipiendi, & præstandi tamquam ex debito, cum sic sit vera usura mentalis. Et illud dicti Canonis *Consuluit* intelligi debet de eo, qui mutuum dat cum intentione lucri, seu pretii recipiendi ex mutuo, tamquam ex debito iustitiæ, qui utique censeri debet verus usurarius mentalis: non autem de eo, qui mutuum dat cum intentione recipiendi aliquam compensationem ex sola, & libera gratitudine. Unde notant communiter Doctores, quod non sit usura, sed simonia mentalis, si quis mutuum det Principi, vel Episcopo ea intentione, & spe, ut ab eo officium, vel beneficium sibi, vel suis ex libera gratitudine obtineat, cum nullum pactum nec tacitum, nec expressum intercedat, sed mera spes voluntariæ, & libera gratitudinis.

36 An autem sit usura, si mutuans excitet, & moneat seu roget Mutuatarium, ut intuitu mutui illi præstet aliquam gratitudinem remunerationem, seu aliquid præter sortem ex gratitudine liberaliter, & voluntarie ei præstet? Variant Doctores. Negant enim Molina, Bonacina, Saloniis, & alii cum Diana *part. 1. tr. 8. de contractibus resolut. 62. Lugo disp. 25. de iustit. reb. 4. n. 30. Reiffenstuel loc. cit. n. 33.* testans de communi aliorum, quia dicunt, ejusmodi gratitudinem intendens, & petens, rem licitam, & honestam intendit, & petit, cum re ipsa non intercedat verum pactum, nec coactio, sed tantum petatur compensatio Antidoralis, ad quam quisvis beneficium aliquod accipiens ex jure naturæ tenetur; at vero licet prædicta opinio sit probabilis, probabilior tamen est sententia Scoti in *4. dist. 15. q. 2. §. de secundo articulo: Richardi, Cajetani, Joannis Medina, & Angles apud l. cit. affirmantium, & docentium esse Usuram arg. cap. Sicut *4. caus. 1. q. 2. ubi* ex verbis S. Gregorii dicitur *Oblatio nullam culpam maculam ingerit, que non ex ambientis petitione processit, ergo a contrario sensu, si petitur, non excludit omnis culpa.* Et sic etiam Viva in *propositione 42. ex damnatis ab Innocentio XI. n. 12. & alii plures.* Et ratio est, quia illa excitatio, monitio, seu rogatio videtur esse quoddam pactum implicitum, si antequam mutuum, & si subsequatur mutuum, Mutuatarius non videtur sponte dare, sed rubore, vel necessitate compulsus, cum metu injusto induci soleat ad remunerandum, timens, ne sibi injusta nota ingratiitudinis inuratur.*

37 Si Mutuatarius mere gratis, & liberaliter det aliquid ultra sortem, Mutuato autem mala fide accipiat tamquam debitum ratione mutui, est quidem usura mentalis inchoata, sed non perfecta, nec restitutioni obnoxia: Sic Scotus in *4. dist. 15. q. 2. art. 2. Lessius lib. 2. cap. 20. dub. 6. Molina loc. cit. disp. 306. Amicus disp. 20. reb. 5. Sporer loc. cit. num. 79. Viva loc. cit. sub num. 10. Lugo loc. cit. num. 33.* appellans hanc communem, & veram sententiam. Et ratio est, quia ex parte Mutuatarii donantis fuit voluntas libera, & sufficiens ad transferendum dominium, accedente acceptatione quamvis peccaminosa ex parte Mutuato accipientis: Hæc autem acceptatio, & potest poni formalis, quando cognoscitur talis animus Mutuatarii non retractatus, ita ut tunc dominium transferatur; & posita fuit virtualis, quando Mutuato accipit auctarium, quia licet putaverit illud non dari gratis, voluit tamen sibi accipere omni meliori modo, quo poterat. Nec obstat *cit. cap. Consuluit 10. de Usuris*, ubi Pontifex dicit, Usurarium mentalem cogendum esse ad restitutionem. Nam ibi solum est sermo de casu, quo Mutuatarius non dederit auctarium gratis, & mere liberaliter, & quamdiu de hac voluntate dantis non constat.

38 E contra si Mutuatarius det aliquid ultra sortem tamquam ex debito ratione mutui, & Mutuato accipiat bona fide tamquam sibi gratis, & mere liberaliter donatum, est quidem usura materialis, cum dato utpote involuntaria absque animo donandi non fuerit sufficiens ad transferendum dominium; at non est usura formalis completa,

nec obnoxia restitutioni, si lucrum sic bona fide acceptum sit etiam bona fide consumptum, nec inde Mutuato factus sit ditior. Si autem cesseret bona fides Mutuato, ex quo exposit cognoscatur, Mutuatarium, non gratis, & liberaliter, sed tamquam ex debito ratione mutui dedisset illud auctarium, tunc evadit usura formalis restitutioni obnoxia, quia cessante bona fide, & tali veritate compta, jam deest Mutuato justus titulus retinendi illud auctarium, adeoque illud restituere debet; & si bona fide consumpsit, restituere tenetur id, in quo inde factus est ditior; & si in nullo sit inde factus ditior, rursus nihil restituere tenebitur, juxta dicta de restitutione facienda a possessore bonæ fidei sub *verb. Possessor bonæ, & male fidei: Sic Doctores supracitati, & alii passim.*

39 Si dubium sit, an Mutuatarius dederit illud auctarium gratis, & mere liberaliter, an tamquam ex debito ratione mutui? debet fieri sufficiens inquisitio de intentione dantis; & si percipiatur dedisse gratis, & mere liberaliter, potest retineri illud auctarium, & contra restitui debet, si percipiatur illud dedisse tamquam ex debito ratione mutui. Si autem Mutuato jam mortuo, seu aliis ejus intentio interpellari non possit, resolvendum est ex circumstantiis, nempe quod dederit gratis, & mere liberaliter, si mutuatarius erat dives, liberalis magnificus, & beneficus, si dederit hilariter, & hujusmodi, & aliunde Mutuato nec explicite, nec implicite aliquid petierit, & tunc ipse Mutuato non tenebitur ad restitutionem. Et contra quod dederit tamquam ex debito ratione mutui, si Mutuatarius erat inops, parvus, avarus, si meste, & moleste dederit, & hujusmodi, & tunc Mutuato tenebitur ad restitutionem. Et tandem si omnibus attentis adhuc restet dubium mere negativum, tenebitur Mutuato ad restitutionem, & si dubium fuerit positivum ob rationes utriusque probabiles, ac conjecturas, & circumstantias utriusque rationabiles, ac verosimiles, non tenebitur probabiliter Mutuato ad restituendum illud auctarium sic acceptum: Sic Sporer *loc. cit. n. 80. Lugo loc. cit. n. 32. Viva loc. cit. sub n. 10. vers. Ad primum; La Croix lib. 3. part. 2. num. 922. & alii contra alios.* Et ratio à pari est de eo, qui cepit possidere rem aliquam bona fide, & deinde superveniens dubium, an ea res sit aliena, superare non potest: In tali enim dubio melior est conditio possidentis, per *claros textus in leg. Nemo 126. §. 2. ff. de Regul. Juris, lex In pari causa 128. ff. eod. cap. Quod autem 5. de Jurepatri. cap. In pari 65. de Regul. Juris in 6. (Vide *verb. Votum, pluribus in locis.*)*

40 Si Mutuatarius det aliquid ultra sortem, eo quia timet se alia vice, cum indigebit, non accepturum mutuum, vel ne videatur, aut vocetur ingratus, tunc mutuans probabiliter tenetur ad restitutionem: Sic Cajetanus, Molina, Navarra, Navarra, S. Antonius, Angles, Diana, & plures alii, quos affert Salas *dub. 6. n. 1. Lugo loc. cit. n. 3.* pro hac sententia, quamvis teneant sententiam contrariam: Sic etiam Viva *loc. cit. n. 10. in fine* dicens, contrariam sententiam solum speculative esse probabilem, non tamen practice, & sic alii plures. Et ratio est, quia cum Mutuatarius solvit auctarium ob dictum metum, fere semper putat injustum metum gravem sibi incuti, & idcirco non gratis, & mere liberaliter, sed coacte ductus tali injusto metu, adeoque cum talis datio fuerit secundum quid involuntaria absque animo donandi, & insufficiens ad transferendum dominium, tenebitur mutuans ad restitutionem: Non sic autem si metus fuisset levis, nec causam dedisset tali dationi, quia tunc tale auctarium censetur gratis, & mere liberaliter datum, sicut retineri posset à Mutuatore.

41 Contraria autem sententia est forte probabilis, eamque defendunt Sporer *loc. cit. n. 81. Salas loc. cit. n. 3. Lugo loc. cit. n. 35.* cum multis aliis ibi citatis dicentibus non committi usuram, nisi dedit, vel accipitur ut pretium mutui, vel tamen debitum ex justitia, quibus favet etiam La Croix *loc. cit. num. 923.* Et ratio eorum est, quia Mutuatarius dando ex tali timore, non dedit ut pretium mutui, sed ut motum habendi benevolentiam mutuantis; cum quilibet ex gratitudine donans inducatur ad donandum metu, ne notam subeat ingratitudinis,

42 ti, & tamen liberaliter donat, quamvis donatio non sit ita spontanea, ac si ex affectu benevolentia procederet. Tum quia sicuti non est forte simonia, quando nullo prævio pacto conferatur beneficium famulo ab Episcopo timente, ne alioquin famulus radeo affectus ab ejus obsequio discedat, nec famulus, licet hoc sciat, simoniace accipit beneficium, quia revera nullum ibi intervenit pretium, sed solum conciliatio novæ benevolentia, ita nec intervenit usura in hoc casu.

43 Usura est, si Mutuans det mutuum Mutuato cum pacto, ut ei remittat obligationem restituendi, non solum bona fortunæ, sed etiam famam, quam antea ei injuste læserat; Lessius *lib. 2. c. 20. dub. 7. Lugo loc. cit. num. 37. Sporer loc. cit. num. 85. Layman lib. 3. tr. 3. c. 16. n. 2. & alii passim.* Et ratio est clara, quia talis obligatio est Mutuato onerosa, & molesta, sicutque ejus condonatio est pretio æstimabilis, adeoque, &c.

44 Item usura est, si mutuet cum pacto, ut Mutuato abstinere ab actione injuriarum, quam contra ipsum juste intentare posset: Cessio enim talis Juris intentandi actionem, injuriarum, & exigendi satisfactionem à Judge, est vere pretio æstimabilis, adeoque, &c. Sic quamvis possit mutuans mutuum suo inimico, à quo timet vindictam cum pacto, ut desistat à vindicta injusta, vel injusto modo intentata, v. gr. propria auctoritate, seu ut desistat ab odio, ab inimicitia, & hujusmodi, cum sic petat, quod inimicus ei antea debet, sive ex Charitate, sive ex Justitia, & sic non imponat ei novam obligationem, novumque gravamen: tamen non potest sic mutuae cum pacto, ut desistat à vindicta, seu satisfactione justa, quam potest exigere ab auctoritate publicæ, seu Judge, cum sic imponat illi novum gravamen vere pretio æstimabile: Sic supracitati Doctores, & alii fere communiter.

45 Usura vera est quidquid pretio æstimabile pacto expresso, vel tacito exigitur, & recipitur vi mutui per se tamquam debitum ex justitia, seu tamquam pretium mutui. Unde mutuans cum pacto, ut mutuarius ei vendat res suas etiam jure pretio, vel ut emat res ab ipso, vel ut utatur ejus molendino, seu frequentet ejus officinam, vel ut patrocinetur suæ causæ, vel ut conducatur ejus prædium, vel ut restituat in alio loco, vel ut restituat partem in pecunia, partem in mercibus, vel ut eum eximat à gabelis, vectigalibus, seu tributis, vel ut ei præstet munus à lingua, à manu, ab obsequio, & his similia, committit usuram, quia obligatio civilis quoad hæc omnia adimplenda est pretio æstimabilis, cum sic imponatur mutuatario onus aliunde indebitum, & privetur sua libertate: Communiter.

46 Item usura est mutuae cum pacto, ut Mutuatus teneatur fidejube pro Mutuante, vel suis: Vide *verb. Mutuum num. 28.*

47 Mutuare frumentum, vel vinum de præsentibus, quo minus valet, cum pacto, ut restituatur in eadem quantitate pro tempore, quo prævidetur certo, vel quasi certo plus valiturum, est usura: Vide *dict. verb. Mutuum num. 29.*

48 Non est tamen usura, si sit æquale dubium, an pro tempore restitutionis sit valiturum plus, vel minus? Vide *ibid. num. 30.*

49 Sic pariformiter est dicendum de pecunia mutuata cum pacto, ut restituatur in eadem omnino specie, & numero pro tali certo tempore: Vid. *ibid. n. 31.*

50 Excipe tamen, nisi ipse Mutuato talem pecuniam, tale vinum, tale frumentum, &c. servaturus esset usque ad illud tempus, quo plus distrabere potuisset: Vide *ibid. num. 31.*

51 Contractus ille, qui vulgo dicitur à godere, quo scilicet aliquis dat sufficientem pecuniam alteri, ut ipse quandoque utitur dicta pecunia, cedat illi domum, vel alteram fructiferam rem interim fruendam, quomodo possit ab usura excusari? Vid. *ibid. n. 49.*

52 Qui recusat mutuae pecuniam, sed ipsam tradit indigentem dicendo, quod emit ab ipso suas vacas, & easdem ei locat pro pensione agna ei solvenda, excusatur forte ab usura, si ille alter de facto habeat dictas vacas utiles, & serventur conditiones requisitæ ad contractum

justæ locationis. Secus vero non: Vide *ibid. num. 50. & subjunctam adnotationem.*

Ab usura excusatur qui à se mutuum petenti tradit pecuniam dicendo, quod tali pecunia conducit suas operas ad futuram messem, seu vindemiam: Vide *ibid. num. 51.*

Ementes res minori pretio, quam valeant, quando excusentur ab usura, & restitutione, vel non? Vide *verb. Emptio art. 2. per tot.*

Ementes chirographa, & aliena credita minori pretio, quam valeant, quando excusentur ab usura, & restitutione, vel non? Vid. *ib. d. n. 19. ad 28.*

Emerere rem sine justo titulo infra pretium infimum ob solam anticipatam solutionem est usura: Vide *ib. num. 28.*

Item usura est rem plus justo pretio, id est, supra pretium summum vendere sine justo titulo ob solam dilatatam solutionem: Vide *verb. Emptio art. 3. d. n. 1.*

Venditores quando excusentur ab usura, & restitutione, vel non? Vide *ibid. per tot.*

Contractus *Mobatra* est usurarius: Vid. *ib. n. 56.*

An Mutuans possit ex contractu usurario celebrato percipere, & retinere lucrum, quod ex alio justo contractu (quem celebrasset, si scivisset) recipere, & retinere potuisset? Variant Doctores. Aliqui enim male putant posse illum tale lucrum percipere, & retinere, etiamsi mala fide dictum contractum usurarium celebraverit: Sic Vericelli apud La Croix *lib. 3. p. 2. n. 924.* quod tamen ipso teste negant Tambur. *l. 8. tr. 3. c. 8. §. 3. n. 23. & Sporer loc. cit. n. 106.* Alii generaliter tenent, posse sic Mutuantem tale lucrum percipere, & retinere, si bona fide dictum contractum usurarium celebravit: Sic Sa *verb. Usura num. 8.* expresse dicens: *Qui facit contractum usurarium bona fide credens justum, potest tantum lucrum retinere, quantum acquisivisset alioquin per contractum licitum:* Et sequuntur Tannerus *2. 2. disp. 4. q. 7. num. 99. Diana part. 1. tract. 8. resol. 47.* Alii defendunt, posse dictum sic bona fide Mutuantem retinere tale lucrum, si mutuantem intendit, & expresserit se velle contrahere omni meliori modo: Ita cum aliis Lessius *lib. 2. cap. 20. dub. 12. Sporer loc. cit. n. 106.* dicens id probabilissime esse licitum. Alii docent, tale lucrum posse recipi, & retineri saltem si mutuans sciverit illum modum juste contrahendi, & Mutuarius etiam censeatur consentire, secus autem non: Ita Lugo *disp. 25. reb. 9. n. 182. & seg. Sporer loc. cit. n. 106.* dicens, quod sic optime sentiat Lugo; quibus duabus ultimis sententiis favet La Croix *cit. lib. 3. part. 2. num. 144. & 924.* cum aliis allegatis. Et ratio inter alias istorum est, quia sic Mutuans, ac contrahens bona fide, intendens interim, & exprimens se velle celebrare contractum omni meliori modo, habet veram voluntatem celebrandi contractum, qui licite fieri possit, ergo tunc virtualiter illum celebrat, maxime si tunc sciat illum modum juste contrahendi, & Mutuarius etiam censeatur consentire, uti rationabiliter consentire censendus est, cum rationabiliter debeat potius consentire in contractum justum, & justo titulo celebratum, quam in contractum injustum & celebratum titulo injusto, adeoque cum adsit sufficiens utriusque voluntas cum titulo justo implicite saltem contento, jam adest totum id, quod necessarium est ad justum contrahendum, & lucrandum, adeoque, &c.

Alii tandem sustinent, quod regulariter loquendo non possit sic Mutuans in resolutione contractus usurarii quamvis bona fide in initium tantum retinere, quantum in alio contractu justo, v. gr. emptio, census, societate, & hujusmodi acquisivisset: Sic expresse Sapientissimus Rosignolus *tract. de Contractibus, contract. 3. de mutuo, & usuris disputat. 6. §. 6. num. 2. & seg. & alii.* Et ratio eorum inter alias est, quia contractus secundum se usurarius est ipso jure nullus, ex dictis *supra d. num. 6.* ergo nullum potest parere interesse; contractus enim nullus perinde est, ac si non esset contractus, cum paria sint non esse, & nullum esse, *arg. leg. Duo sunt Titii ff. de Testamentaria tutela;* & idem sit, aliquid non esse factum, ac nulliter factum, *leg. Si se non obtulit 4.*

BIBLIOTECA CENTRAL

§. 6. ff. de re iudicata. Quod autem nullum est, nullum producit effectum; cap. Illud 3. de furepatron. Et non enis nullum possunt esse fructus, nullaque qualitates, arg. leg. Eius qui in Provincia ff. de rebus creditis; si certum petatur, leg. 1. ff. de usufructu, adeoque, &c. (Vide inter alias leg. 5. tit. 15. p. 1. in fin. & verb. Sepultura, num. 93.)

61 Nec valet dicere, quod quamvis non subsistat dictus contractus usurarius in ratione contractus talis, sub qua expresse fuit celebratus, subsistat tamen in ratione alterius contractus liciti implicite voliti ab ipso contrahente, quandoquidem si scivisset contractum iuxta talem modum non esse validum, alio modo valido contraxisset. Non valet, inquam, quia hoc modo aperiretur via infinitis Usuris, panderetur enim aditus cuicumque usurarie, & invalide, ac infructifero lucrandi, cum semper posset dicere, si scivissem, alio modo licito contraxissem.

62 Hinc quamvis non sit improbabilis sententia Lessii, Lugonis, & Sporer sub num. 59. adducta, in praxi tamen non est facile concedenda, ut dicit ipsemet Sporer l. cit. num. 105. sic expresse habens: Id in praxi non facile concedendum approbant omnes etiam citandi, & simpliciter non licere supponere videntur Doctores communiter. Tum quia, ut testatur dictus P. Rosignolus cit. §. 6. in fine ita pluries fuit iudicatum in Excellentissimis Mediolani, & Taurini Senatibus in contractibus censualibus, aliisque invalidis, vel ex defectu solemnitatis requisite, vel ex quolibet alio capite, qui Senatus coegerant vel fructus ex talibus contractibus invalidis perceptos restituere, vel computare in sortem. Hec ille.

63 Contractus vulgo dictus trium Contractuum an sit usurarius, vel non? Vide verb. Societas, seu Societatis contractus d. num. 3. ad 11.

64 Notarii, seu Tabelliones conficientes instrumenta usuraria per modum contractus liciti suppressa usura: Itemque Testes subscriptores peccant mortaliter contra Justitiam, & ad restitutionem obligantur saltem secundo loco, si Usurarius non possit, aut non velit: Sic etiam consulentes, & persuadentes ad usuras exigendas: Item scientes dantes pecuniam Usurario ad exigendas usuras: Item Iudices, & Domini compellentes ad solvendas usuras, vel impediendes, quominus solute usura repetatur, vel restituatur: in quos est excommunicatio latae sententiae in Clementin. Ex gravi unice. de Usuris. Item omnes Ministri principales usurarii ad usuras concurrentes, ut negotiorum gestores, prosexnetae, factores, correspondentes, & huiusmodi. Item denique omnes efficaciter cooperantes ad usuras exigendas, & solvendas peccant mortaliter contra Justitiam, & ad restitutionem obligantur, etiam quisque in solidum in defectu aliorum: Sic Doctores Communiter. Et colligitur ex cit. Clementin. Ex gravi unice. de Usuris, Conc. Mediolanen. 1. tit. de Usuris, ibi: Tabelliones, qui instrumenta confecerint, prosexnetae, usurarum, aut lucri participes, Ministrique omnes horum scelerum, & panis a Jure statuti, & ecclesiasticis censuris puniantur. Item ex Concil. Rhemensi habito anno 1583; a Ludovico Cardinali Guisio, & a Papi Gregorio XIII. approbato tit. de Furtore §. 4. ibi: Adversarii, seu Notarii, usurarum prosexnetae, omnesque, qui contractibus usurariis aliquam operam, vel consensum praebent, ejusdem criminis censeantur esse participes. Immo de Notariis, seu Tabellionibus rigidissima poena habetur in Jure statuta, l. Jubeamus 13. §. 3. Cod. de Sacrosanctis Ecclesiis, ibi: His Tabellionibus, qui huiusmodi contractuum veterum aut fuerint instrumenta conscribere, irrevocabilis exilii animadversione plecendis.

65 Mutuatarius, qui absque justa causa ab Usurario etiam parato petit mutuum sub usuris, peccat mortaliter peccato Scandali: Communiter. Praebere enim sine justa causa alteri occasionem peccati mortalis, seu ruinae spiritualis, est peccatum mortalis scandali.

66 Non peccat autem Mutuatarius, si ab Usurario petit mutuum ob aliquam justam causam non solum necessitatis, sed etiam verae, & evidenter utilitatis: Vide

tur probabilis, quia Mutuatarius potest uti Jure suo petendo id, quo indiget, & quod alter sine peccato facere potest. Quod autem alter non sit facturus sine peccato, non sequitur ex petitione Mutuatarii, sed ex spontanea malitia Mutuatoris.

Mutuatarius non peccat post acceptum jam mutuum sub usuris usuram solvendo, si non possit sine gravi incommodo solutionem denegare: Communiter.

Non tenetur tamen Mutuatarius solvere veras usuras lucrativas, etiamsi eas solvere promiserit, nisi sub jramento ad eas solvendas se obligaverit: Comm. ex cap. Debitoribus 6. de furejurando, ibi: Debitoribus ad solvendas usuras, in quibus se obligaverant, cogi non debent. Si vero de ipsarum solutione juraverint, cogendi sunt Domino reddere juramentum.

Mutuator autem cogi potest, ut dictum Juramentum, & per consequens etiam usurarum solutionem remittat: Communiter, textu expresso in cap. 1. de furejurando, ibi: Mandamus, quatenus Creditores ad juramenta super usuris sibi praestita relaxanda ecclesiastica distributione cogatis.

Et in casu, quo Mutuatarius vi juramenti dictas lucrativas usuras jam solverit, potest illas in judicio petere, debetque Mutuator ad eas Mutuatario denuo restituendas compelli: Communiter, textu expresso in cit. cap. Debitoribus 6. de furejurando, ibi: Et cum usura soluta fuerint, creditores ad eas restituendas sunt ecclesiastica severitate (si necesse fuerit) compellendi.

Et dato, quod mutuatarius etiam jurasset se non repetitarum usuras solvas, nihilominus Mutuator compelli potest, ut vel juramentum remittat, vel ab usurarum exactione desistat, vel poterit, non obstante hujusmodi juramento, per Judicem ex officio compelli ad restituendas usuras jam solutas: Communiter, textu expresso in cap. Tua dudum 13. de Usuris, ibi: Nos igitur respondemus, ut usurarios ipsos modo praedicto per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellas ante usurarium solutionem ab eorum exactione desistere, vel restituere ipsas, postquam fuerint persolutae, ne de dolo, & fraude contingat eos commodum reportare, juncto ejus Summario sic dicente: Non obstante juramento de non repetendis usuris per Debitorum praestito, potest Judex ex officio suo usurarium ad restituendas usuras compellere.

Fuit supra num. 68. notanter dictum, non teneri Mutuatatum solvere veras usuras lucrativas, quia ad solvendas usuras compensatorias, seu restitutorias, & usuras punitorias, seu mortatorias, tenetur in utroque foro, cum ex dictis supra num. 21. & 22. illae sint omnino licitae, & consequenter debita.

Usurarius non acquirit dominium usurarum, seu rerum per usuram acceptarum, nisi res usu consumptibiles, seu functionem recipientes, ut pecunia, frumentum, vinum, huiusmodi, ita commixtae sint cum rebus ipsis propriis, ut nullo modo discerni possint: Ita S. Thomas 2. quest. 78. art. 3. ad 3. Covarrubias l. 3. variae. resolut. cap. 6. num. 3. Layman lib. 3. tract. 4. cap. 16. num. 7. Silvestre verb. Usurae quest. 1. Sporer loc. cit. num. 17. testans de communiori; & sibi vera omnino sententia DD. plurimorum, quos congregavit, & sequuntur Molina, Lessius, & Tamburini. ibi citatis; Reiffenstuel loc. cit. num. 167. testans de communiori aliorum contra Glossam in cap. Si quis Usuram 14. q. 4. & quosdam alios: Et ratio est, quia ad acquirendum rerum dominium requiritur aliquis justus, & sufficiens titulus, ut concedant omnes etiam adversarii, sed hic nullus adest justus titulus, ergo, &c. Probatur Minor: talis justus, & sufficiens titulus transferendi dominium in Usurarium Mutuatorem non posset esse nisi ipsa datio, seu solutio Mutuatarii simpliciter voluntaria, etsi cum admixto involuntario secundum quid, prout assignant ipsi adversarii: atqui ipsa datio non est sufficiens ad transferendum dominium, quia licet illa solutio esset voluntaria simpliciter, & solum mixte involuntaria, seu secundum quid, ut dicitur adversarii, esset tamen solum voluntaria quoad traditionem, non vero quoad translationem dominii nam Mutuatarius usuras tradens non praesumitur velle conferre majus Jus Mutuanti, quam

quam debeat, & ipsi de Jure competat, sed ipsas ei intendit tradere eo modo, quo ipsi debentur; cum ergo ei nullo justo titulo ad validam dominii translationem requisito debeantur, sed potius ipsas nullatenus exigere possit, & si jam se receperit, seu exegerit, restituere teneatur, per textus expressos in cap. Cum tu 5. cap. Tua 9. cap. Consultuit 10. cap. Quam perniciosum 11. cap. Post miserabilem 12. cap. Tua dudum 13. & cap. Quia frustra 14. de Usuris, cap. 1. & 6. de furejurando, cum similibus, sequitur manifeste, quod in ordine ad talem translationem dominii illa solutio, seu traditio Mutuatarii sit insufficientis, per text. in l. Numquam 31. ff. de acquirendo rerum dominio, ibi: Numquam nuda traditio transfert dominium, sed ita si venditio, aut aliqua justa causa processerit, propter quam traditio sequeretur.

Si tamen supradictae res per usuram acceptatae commixtae sint cum rebus propriis, ut nullo modo discerni possint, tunc Usurarius acquirit quidem eorum dominium ratione commixtionis, seu confusiois, vel specificationis; sed ita debile, & infrimum, ut teneatur ad restitutionem, seu compensationem in aequivalenti ratione injustae acceptionis; Sic Sporer loc. cit. num. 115. Lugo disp. 25. sect. 11. num. 206. cum S. Thoma, & pluribus aliis ibi citatis, Reiffenstuel loc. cit. num. 166. testans hanc esse communem, & certam per text. in §. Si duorum 27. & §. Quod si frumentum 28. Instit. de rerum divisione, & acquirendo ipsarum dominio; l. Si alieni 78. ff. de solutionibus, ibi: Si alieni nummi inreicio, vel invito domino soluti sunt, manent ejus, cujus fuerunt; si mixti essent, ita ut discerni non possent, ejus fieri, qui accepit, in libris Gaii scriptum est. Et ratio est, quia dicta admixtio, seu confusio, per citata Jura, sicut & specificatio per text. in §. 25. Instit. de rerum divisione. Est justus titulus acquirendi rerum dominium, nec vitiat per aliquem specialem modum, quo acquiratur res, quae per dictam admixtionem, seu confusio-nem, vel specificationem acquiratur, semper etiam supponitur res esse aliena, quae confunditur, seu commiscetur; sive ergo illa res sit per actionem furtivam, sive per usurariam acquisita, dum ita commiscetur, seu confunditur cum propriis, ut discerni, seu separari ab ipsis nullo modo possit, non est eadem res in individuo restituenda, cum sic transierit in dominium commiscuentis, seu specificantis, sed bene in aequivalenti ratione injustae acceptionis, sicuti quando res alterius jam est consumpta. (Vid. verb. Dominium.)

Hinc Usurarius tenetur restituere omnia acquisita per Usuras usque ad aequalitatem damni illati: Nempe primo ipsamet res in individuo, vel in se adhuc discernibiliter existentes, vel in aequivalenti, si commixtae cum suis indiscernibiliter existant, cum per injustitiam eas acceperit. Secundo si res per usuram accepta erat secundum se fructifera, tenetur restituere una cum illa etiam omnes fructus ex ipsa perceptos, detractis expensis, & aestimatione laboris, ac industriae, cum tales fructus ad Mutuatarium tamquam dominum rei pertineant; §. Si quis a non Domino 35. Instit. de rerum divisione. Immo Usurarius tenetur restituere ipsos fructus ex re usurariae acquisita perceptos, quamvis dominus, seu mutuatarius per negligentiam suam illos fructus non percepisset, si rem suam habuisset, detractis tamen ut supra expensis, & aestimatione laboris, ac industriae. Et ratio est, quia omnis res de se fructifera suo Domino fructificat; cit. §. Si quis a non Domino 35. Instit. de rerum divisione. Insuper tenetur Usurarius restituere etiam fructus; quos ipse per incuriam non percepit, attamen percepisset Mutuatarius, si rem suam de se fructiferam habuisset. Et ratio est, quia ipse usurarius per injustam acceptionem & detentionem facit iniqua causa amissionis fructuum, quos percepisset Mutuatarius, si ille rem usurariam non detinuisse. Nullo tamen fructus restituere tenetur usurarius, si ex re usurariae accepta nec ipse fructus aliquos percepit, nec Mutuatarius propter similem negligentiam fuisset percepturus. Et ratio est, quia nec ipse usurarius in data hypothesis fructibus rei usurariae factus est ditor, cum nullo ex ipsa percepisset, nec quoad ipsos damnum aliquod intulit Mutuatario, cum ut supponi-

tur, nullos fructus fuisset ex ipsa percepturus. (Vid. ex leg. 39. tit. 28. p. 2. & verb. Possessor bonae, aut male fidei cum verb. Praescriptio.)

Si autem res per usuram accepta non erat secundum se fructifera, & ex detentione ipsius nullum emergat damnus, vel lucrum cesset Mutuatario, fructus ex illa percepti fiunt quoad dominium ejusdem usurarii, nec restituendi sunt Mutuatario; Communiter, per clarum textum in l. Qui aliena 8. Cod. Si quis alteri, vel sibi, ibi: Qui aliena pecunia comparat, non ei, cujus nummi fuerunt, sed tibi tam actionem empti, quam dominium, si ei fuerit tradita possessio, quae ratio est, quia quando res non est secundum se fructifera, fructus, qui ex ipsa percipiuntur, non sunt fructus rei, sed solius industriae, & personae, adeoque non domino rei, sed personae applicanti industriadum cedere debent. Hinc res ipsae, quas usurarius sibi emit, v. g. pecunia usuraria, quamvis non permixtae, nec confusae cum rebus propriis ipsius usurarii, transeunt in dominium usurarii, ut concedunt communiter Doctores, etiam illi, qui negant dominium usurarum acquiri ab usurario. Et ratio est, quia res per pecuniam usurariam emptae non sunt fructus pecuniae, utpote ex se steriles, sed sunt fructus industriae, seu voluntariae emptiois, & negotiationis susceptae, quae emptio, seu negotiatio, cum sit tota ipsius usurarii, ideo ipsae res emptae in ipsius usurarii dominium transeunt, ut clare habetur ex cit. l. Qui aliena 8. Cod. Si quis alteri, vel sibi. Quare etiam fur id, quod ex re furtiva negotiando acquirit, sibi, non domino acquirit; l. Qui vas 48. §. 7. ff. de furtis. Item Depositarius id, quod ex re deposita negotiando acquirit, sibi, non deponenti, acquirit; l. Si ex pecunia 6. Cod. de rei vindicatione. Item uxori id, quod ex re Mariti defuncti ad filium pertinente negotiando acquirit, sibi, non filio acquirit; l. Si pecunia 1. Cod. Si quis alteri, vel sibi.

Item si usurarius res per usuram acquisitas vendat, pretium illarum quoad dominium sibi acquirit, & non Mutuatario, sicuti fur vendens res furtivas, earum pretium quoad dominium sibi, & non domino acquirit: Remanente semper tamen obligatione restituendi pro re usuraria, vel furtiva in aequivalenti, & damna inde secuta Mutuatario, vel Domino compensandi; Communiter, per clarum textum in l. Qui vas argentum 48. ff. de Furtis §. 7. ibi: Cum fur rem furtivam vendiderit, eique numerus pretii Dominus rei per vim extorsit, furtum eum, nummorum fecisse recte respondetur. Idem etiam vi bonorum raptorum actione tenetur: Quod enim ex re furtiva redigitur, furtivum non esse nemini dubium est; nummus ergo hic, qui redactus est ex pretio rei furtivae, non est furtivus.

Etiam Judaei tenentur restituere usuras extortas a Christianis, & ad id compellendi sunt per subtractionem Communione Christianorum, vel aliis per Principes, & Potestates seculares; Communiter, per textus expressos in cap. Post miserabilem 12. & cap. Quanto amplius 18. de Usuris. Vide supra n. 9. 10. 11. 19. & 20.

Obligatio restituendi usuras transit ad heredem usurariorum, non tantum suos, sed etiam extraneos; Communiter, textu expresso in cap. Tua nos 9. de usuris, ibi Respondemus, quod Filii ad restituendas usuras ea sunt distributione cogendi, quae parentes sui, si viverent, congerentur. Idipsum etiam contra heredes extraneos credimus exorcedendum.

Non tenentur tamen heredes restituere ultra vires hereditatis; Communiter, arg. cap. In literis 5. de Raptoribus, ibi: Heredes ejus monent, & compellunt, ut his, quibus ille per incendium, vel alio modo damna contra Justitiam irrogaverat, iuxta facultates suas (id est defuncti, ut ibidem recte advertit Glossa verb. Facultates) condigne satisfaciant; & concordat l. Ex qua 149. ff. de Regul. Juris, ibi: Ex qua persona quis lucrum cepit, ejus factum praestare debet. (Vid. in additione nov. hisq. verb. Testamentum, cum verb. Haeres.)

Tenentur vero heredes usurarii restituere, quamvis res usuraria ad eos in natura non devenit, nec per illam hereditas illorum fuerit aucla; Sic Engel lib. 5. Nn Dr.